



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 79. Pertinax Francisci Regis consilium de continuanda obsidione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

## §. LXXIX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1525.*Pertinax Francisci Regis consilium  
de continuanda obsidione.*

Cæsareus exercitus numerabat duodeviginti peditum millia, septingentos Cataphractos, & nonnulla levioris armaturæ equitum agmina. Placuit belli præfectis, ut has copias Marinianum versus de industria ducerent, ac Mediolanum contendere simularent, hocque circuitu Galliarum Regem compellerent, ut ad primos adventantis exercitus rumores aut Papiæ obsidionem solveret, aut saltem Trimollius Mediolani Præfectus copias suas Gallico exercitui jungere prohiberetur. Rex hostium consilia edoctus, convocato belli Senatu, quid in præsentis rerum statu agendum, deliberavit, ubi Saniorum, veterumque Belliducum sententia eo abibat, solvendam esse obsidionem, ac Cæsareos strenue insequendos; dissensit tamen Bonivetus Admiralis, ejusque consilium secutus Rex obsidionem continuari statuit, quamvis datis literis ab Alberto Carpiensi Comite, quem Romæ Legatum habebat, Pontificis nomine monitus esset, ut prælii discrimen sollicitè declinaret, & per quindecim dies quiete in suis castris subsisteret, eoquod Cæsaris

**Sæcul. XVI** faris exercitus ob æris militaris penuriam ægre diutius in officio sese contineret; nihilominus Rex propria virtute clarus, sed alieno consilio infelix, de honoris sui gloria agi arbitrabatur, si non modo prælium, sed etiam pugnandi occasionem effugeret. Ceterum infauftum hoc Boniveti consilium brevi duo alia sequebantur fata, Regi omnino funesta, ac veluti integræ Gallorum interneccionis prælagia.

## §. LXXX.

*Gallorum exercitus fatali casu dimi-  
nutus.*

*Mem. du  
Bellai l. 2.*

**H**æc fuere prima Gallicæ infelicitatis auspicia. Die decima quinta Februarii Joannes Medicæus ex omnibus exteris Belliducibus, qui Regis vexilla sequebantur, vigilantia nulli secundus eruptionem ex urbe fecerat, non sine quorundam militum dispendio, altera autem die, ut suorum jacturam ulcisceretur, captosque hosti eriperet, insidias struxit, eosque, qui prius victores erant, fudit, fugavitque; cum vero Bonivetus partam victoriam gratulaturus, eum accederet, Medicæus adventanti palam obviam processit, ut penitus artem, qua hostem sefellisset, eidem ostenderet; ast in crure dextro sclopi glan-